



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Litterae Societatis Iesv E Regno Sinarvm Annorum MDCX.
& XI. Ad R. P. Clavdivm Aquaiuam eiusd. Societatis
Præpositum Generalem**

Trigault, Nicolas

Avgvstae Vindelicorvm, 1615

De erroribus fastorum Sinensium quos emendari necesse est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68733)

in dierum electione, negotiorum quæ aggrediuntur prosperos aut aduersos euentus sitos esse arbitrantur, si facti eorum à motuum caelestium cursibus aberrarint, fieri poterit vt is dies quem facti designant reuera sit alias, isque fortasse pro fortunato sit infelix, & pro facto nefastus; quod si contigerit, regnum vniuersum necesse est perturbari: hinc videri potest quanti nostros faciant, qui rem tanti à se æstimatam credere externis non dubitarint; & fortasse Dominus hanc nostris occasionem inessit, vt hanc dierum electionem vanam esse persuadeant.

De erroribus fastorum Sinensium quos emendari necesse est.

Quapropter cum careant Epacta, numero Aureo, Cyclo solari & alijs quæ in Calendario nostro reperiuntur, fit vt tota fastorum Sinensium corrigendorum difficultas, in duobus sita sit; Alterum est in præcessione æquinoctiorum, quam Sinæ Sui cha vocant, id est, error anni, alterum in motibus planetarum probe cognoscendis, ad Eclipsium supputationem. Præcessionis æquinoctiorum meminere Sinæ, non quia asserant octauam Sphæram motu trepidationis ferri, vel quod præter primi mobilis cursum, quo rapitur, alio proprio ac repugnante feratur, sed hanc
tamea

tamen diei varietatem obseruarunt solum in æ-
 quinoctio hyberno; atque ita ferunt quo tem-
 pore Hân vù tí Rex imperabat 24. gradibus so-
 lem variasse à tempore primi Regis, ad ea vsque
 tempora, quod fuit annorum bis mille. De hac
 varietate cum loquuntur, asserunt stellas non
 moueri, sed solstitium. atque ita solstitium est
 in tali constellationis gradu, & aliàs in alio cum
 continua varietate; nec vllam rationem vltra
 inquirunt. Itaque cum regnaret yu hi Rex, ex
 eius mandato hanc varietatem componere ag-
 gressi, statuerunt annorum 55. decursu, vno gra-
 du discrepare, alij centum annos exigebant, alij
 septuaginta quinque, alij octoginta tres. Deni-
 que statuit ille Sinensium Mathematicorum
 Princeps, annos sexaginta sex, iuxta quam opini-
 onem ad hanc vsque diem sua moderantur.
 Habent etiam Sinæ motus planetarum, sed præ-
 ter æquinoctiorum præcessionem, qua carent,
 illæ ipsæ motuum tabulæ, à veris planetarum
 motibus aberrant, atque ita in omnibus ferè præ-
 dicendis Eclipsibus, tribus quatuorue quadran-
 tibus hallucinantur; hic error soli aspectuum
 diuersitati attribui minimè potest. In suis etiam
 libris (etsi de aspectuum diuersitate nullus ser-
 mo) hanc regulam legunt. Si Eclipsis solaris
 antemeridiana fuerit, de numero detrahe, si
 pomeridiana, numero adde, nec amplius di-
 cunt, aut eius rei causam Mathematici norunt,
 solum

solum dicunt se tabulas habere, tabularum fundamenta ignorare. Non est tamen nec Regiorum Mathematicorum nec noster scopus, è nostris tabulis Sinicas emendare, quod est perdifficile, propter variam minorum Sinensium supputationem, quam ad calculos nostros redigere laboriosum est, & quod ipsi Mathematici longè nostram præferant minorum partitionem. Noster ergo scopus est, Sinensibus tabulis repudiatis nostras substituere, & ex earum præscripto fastos Sinenses definire: vèrum & noster Paulus Regijque Mathematici ac Magistratus prope omnes, libros nostros Mathematicos volunt, è quibus iam norunt præclara multa erui, ad reipublicæ vtilitatem regniq̃e sui maiestatem, quanquam nec hos solum libros volunt, sed omne scientiarum Europæarum genus, omnes obuijs vlnis complectuntur.



M Resi-